

viaque rotationis 6, 283, 185, quæ ducta in aream eiusdem hexagoni 2, 598, 000 componit Potestatem 16, 323, 714, 630 Horizontalem Iustum Hexagoni propositi.

Et sic de reliquis faciendum est. Polygonorum ergo regularium Potestates composuimus. Quod faciendum erat.

### PROPOSITIO V.

*Cuiusvis Figuræ Rectilineæ, quomodo Potestas eius rotunda componatur, ostendere.*

1. **D**E triangulis, quadrilateris, ac multangulis, & circulo, & partibus eius inscriptis, adhuc diximus: sequitur ut de varijs variorum Rectilineorum speciebus præcipiamus, qua ratione ipsarum componantur Potestates Rotundæ: sed hæ infinitæ sunt, & si ad genera revocentur, de illis iam generatim in præcedentibus præcepta præscripsimus, quæ uno verbo repetemus: Habito enim centro gravitatis propositi Rectilinei, quod Libro I. invenire docuimus, [Cap: 8. Propos: 13.] inquirendus est Radius rotationis eiusque via; nam hæc multiplicata in aream Rectilinei, componit Potestatem rotundam quæ quæritur. Potestates autem hæ erunt variæ, non solum propter varietatem Rectilineorum, sed etiam propter eiusdem Rectilinei variam ad axem rotationis applicationem.

2. Totus autem labor erit ponendus in inventione Radij rotationis, quam necessario præcedit inventio centri gravitatis: & si quidem habere voluerimus unicum propositi Rectilinei centrum, opus erit sæpiissime [ut constare potest ex ea, quam diximus, 13 Propositione] resolvere Rectilineum in triangula, quadrangula, &c. quarum partium si non aream, saltem arearum proportionem scire oportet. Cum ergo ad compositionem Potestatis requiratur, cognitio areæ totius propositi Rectilinei, illaque multoties haberi non possit, quam ex cognitione & collectione arearum, ipsorum & triangulorum & quadrangularium; considerandum erit Potestatum Compositori, an expedit ex his particularium centris potius, particulares Potestates componere, easque unam in summam colligere; an vero ex unico totius figuræ centro, suam efficere Potestatem: nam aliquando hoc, aliquando illud magis expediet. Id quod in genere hoc modo præmonuisse, ut nostri fuit officij, ita particulares casus, & infinitorum Rectilineorum Potestatum compositiones, iure merito alijs relinquimus. Si quæ autem talis compositio nobis in posterum necessaria fuerit, eam suis dabimus locis.

### C A P V T X I I .

## DE POTESTATVM

Rotundarum, quæ à Planis curvilineis  
nascuntur, compositione.

PAUPERIEM